



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lilivm Inter Spinis

Sterre, Jean Chrysostome van der

Antverpiæ, 1627

Cap. XXI. Deum non sine ratione Sanctorum suorum nomina subinde
commutasse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43032

ORDINIS PRAEMONST. 65
propter hæc & propter sequentia be-
nedicamus in mulieribus benedi-
ctam, & seruum eius fidelissimum, &
amicum in amicis eius omnibus be-
nedictum.

CAPVT XXI.

*Deum non sine ratione Sanctorum suorum
nomina subinde commutasse.*

AVSCVLTO iamdudum & ani-
maduerto murmura hæc legen-
tium: quare, & quomodo sit muta-
tum nomen charissimi Fratris nostri,
quod in Baptismo acceperat, & quod
ipsi etiam specialiter expositione mo-
rali conuenire monstraui. Non frau-
dabo pia quæstione Lectorem: nam
& huius rei veritatem ex ipsius con-
fessione cognoui; ita vt hanc audeam
scripturæ veritatis committere confi-
denter. Adesto Auctor veritatis, sum-
ma Veritas, Deus meus, nec me à tua
veritate aliquatenus aberrare permit-

*Totum hoc
caput Lau-
rentius Su-
rius omisit.*

E te.

te. Sed, antequam rei propositæ tractatum exordiar, æstimo non superfluum, simplicibus & inquietis exemplo Sanctarum demonstrare Scripturarum, non esse superfluum, si nomina personis, etiam morali interpretatione, conuenientia, commutentur; dummodò & ipsa, quæ nouiter imponuntur, spirituales, & maximè ipsi personæ, & causæ (propter quam imponuntur) congruentem contineant intellectum. Demonstratur hoc, in veteri Testamento, in Abraham, & in Israël: quibus cum priora nomina (nam antè Abram & Iacob vocati fuerant) conuenirent, & (sicut notum est) à mysterijs non vacarent; non tamen superfluum Dei Sapia iudicauit, si suis actibus & causis (propter quas mutata fuerunt) conuenientia noua nomina sortirentur. In nouo quoque Testamento, ipsum Dominum & Saluatorem nostrum, quorumdam Apostolorum* (quos utique præ

* Nomina
deest.

præ ceteris familiares habebat) bona quidem, & ipsis benè conuenientia, & secundùm præceptum Domini in Sacramento Circumcisionis imposita (quæ tunc vicem Baptismi, & effectum ex parte, gerebat) legimus commutasse: & (ne in hoc quisquam vim faciat) non hæc ipsum mutasse legimus in Baptismo; dum eum, qui Simon antea vocabatur, Petrum, Iacobum & Ioannem filios tonitruui appellauit. Quare autem quidam eorum, quorum nomina sunt mutata, prima nomina omnino amiserunt; quidam verò prima pænè omnino retinuerunt; aliqui verò, & primis & secundis indifferenter, separatim & etiam coniunctim aliquando nominentur; quare me non fatear ignorare? Nec enim me legisse memini vel audisse, si huiusmodi dubium aliquando fuerit in quæstione adductum; sed tamen dubium non est, sic se veritatem habere. Nam Abraham iam à nullo Abram,

sed Abraham nominatur, abolito penitus primo nomine: Iacob verò, licet Israël sit vocatus, vsitato nomine, non Israël, sed Iacob potius appellatur; ipso Domino dicente: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Princeps Apostolorum, nunc sigillatim Simon, nunc Petrus, nonnumquam utroque pariter nuncupatur: quod in prænominatis minimè inuenitur. Filij Zebedæi, rarissimè filij tonitruui vocantur; nisi ille locus Evangelij aut causa talis nominis recitentur. Noster verò *binomius, cum Principe Apostolorum, in nominis appositione, maximè conuenire videtur; eò quòd nunc, licet rarò, primo nomine nisi cum appositione secundi, nunc secundo nomine sigillatim & frequentius, nonnumquam verò utroque coniunctim soleat appellari.

* Binomius.

CA-